

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXXXV. Ex Hist. Civ. Varia.

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

§. VII. Anafus olim inter Franciam Aufraticam, et Hunnorum, quibus Hungari successerunt, regionem limes fuit: Sed mutatis postea finibus, pars superioris Pannoniae detracta est, quae Germaniae coniuncta, Austriae accessit.

§. VIII. Austria deinceps Hungariam, ex diversa causa acquisitam, multis felicibusque incrementis nobilitavit, et regiones antea Hungariae coniunctas, Dravo Savoqve superatis, auspicio LEOPOLDI AVG. magni Imperatoris, denno in obsequium redegit.

§. IX. Vt aevo Romanorum duae Pannoniae, sic et Daciae duae appellationes sunt: Sed duae Venetiae in bonis emendatisque codicibus nusquam leguntur.

§. X. Dacia quondam Orientis Imperio attributa est, cuius metropolis fuit Iustiniana prima, urbs Macedoniae clara, ad Lychnidum lacum.

§. XI. Posteris seculis cum res Christiana apud Hungaros invalesceret, Colocia, quam Danubius alluit, Regum Hungararum auspicio, honorem sibi dignitatemque Metropolitanam suscepit.

§. XII. Nostra memoria haec regio opima et fertilis, regno Hungariae, cui antehac innexa fuit, postlimino se coniunxit.

§. XIII. Absurdi sunt, qui Albam Iuliam putant esse Coloniam Vlpianam Traianam, quae tabulae veteres, et prisca monumenta recte et evidenter distinguunt.

§. XIV. In finitimis Daciae regnis, ac praesertim in Dalmatia, celebris fuit *Megazupani* dignitas, quae perperam legitur ab hominibus Craeco-Salvitarum antiquitatum ignaris.

## LXXXV. EX HIST. CIV. VARIA.

**F**ines Flandriae veteris recte constituuntur auctoritate et fide *Audoeni*, antiquissimi rerum Flandricarum scriptoris. Ab hoc lucem accipiunt Meyerus, Marchantius, Lindanus, alique.

§. II. Circumscripta olim exiguis finibus regio, non fuit vetus, nec prima Francia, ut quidam affirmant, atque inter hos *Olivarius Vredius*.

§. III. Ergo priscae Francorum sedes in Gelria quaerendae sunt, quas multis abhinc seculis Procopius Caesariensis indicavit.

§. IV.

§. IV. Aborigines Franci, qui Sicambri dicuntur, apud Rheni paludes, non apud Salam, qui in Moenum influit, confederunt.

§. V. Franci, qui Taxandri nominantur, ad Mosae Vahalisque confluentes porrecti incoluerunt: omnes denique generatim appellati, inter Rhenum, Visurgim et Oceanum habitarunt, praeter Sicambros et Toxandros, Attuari, Anlivarii, Brueteri, Catti, Chamavi, Chaucci, Salli, de quibus Iulianus, Ammianus, Zosimus, Eunapius, Procopius tradiderunt.

§. VI. Lex Francorum, quae Salica celebratur, ante transitum in Galliam lata est in veteri Germania, cuius pars est Francia, ex qua victores Gallorum prodierunt, nomenque Francogalliae condiderunt.

§. VII. Teisterbantii a Toxandris diversi, non plene ab Hadriano Valesio, nec accurate a compilatore Elzeviriano describuntur. Quod apparebit, si auctorem *vitae Suiberti* cum utrisque contendamus, veteresque Teisterbantiae fines perquiramus.

§. VIII. Comitatus Teisterbantius Batuae proximus, sed non Batavorum insula comprehensus fuit.

§. IX. Hunc sacris Christi initiavit VVillebrordus, primus Traiectensium Antistes, de quo *vid. Gvil. Heda in catal. Episc. Traiectensium, et Io. Beka in Chronicis.*

§. X. Neque vero ea de causa comitatus Teisterbantius iure beneficio agnoscit sedem sacerdotiumque Traiectinum. Dissentit Ictus *Batavus, in libr. de Nobilitate, cuius rationes et documenta alibi examinabo.*

§. XI. Bonifacius, antea VVinfridus, non solum Francos, Thuringos et Hessos, sed etiam Saxones doctrina sanctiori emendavit, quem non immerito Germanorum *Apostolum* dicamus.

§. XII. Alcuinus tamen, scholae *palatinae* praefectus, de gente Saxonum imprimis meritis est, auctor idem Carolo M. atque hortator, ut Saxoniam scholis sacerdotisque amplissimis ornaret.

§. XIII. Prima antiquissimaque sedes Episcopi constituta est Buriburgi anno D CC XLII. Ex eo loco dignitas haec Paderbornam translata est, quod cur voluerit et sanxerit Carolus, multae graves ac Historicorum vulgo prorsus ignotae rationes Carolum permovebant. De Buriburgo ceteroquin tacet doctissimus Germaniae Episcopus Ferdinandus, *in monument. Paderbornensibus.*

§. XIV. Fallunt, qui Saxoniam Episcopis donatam affirmant, quod neque ex Caroli codicillis, neque ex epistola Leonis Pont. qui in Saxoniam venit, et Paderbornae ac Merseburgi ad Dimolam, colloquii et consilii causa,

Carolo M. affluit, ostendi, aut ulla specie probari potest. Frustra repugnat P. Ios. Cantelius in *historia metropolitanarum urbium part. II. c. 7.*

§. XV. Summa Caroli M. potestas in Romam multis modis culta agnitaeque est ab Hadriano I. Leone III. et Stephano V. Pontificibus Romanis. Docent hoc epistolae, reverentiae et obsequii erga Carolum Patricium atque Imperatorem monumenta.

§. XVI. Minus dicunt, qui Patricium Romanum dicunt, ignari historiae et iuris, nomine tituloque illo parti. Diversa enim sunt, Patricius Romanus, et Patricius Romanorum.

§. XVII. Pro iuribus Imperii conservandis nihil non egerunt Imperatores, maxime post Ortonis M. tempora constitutis Vicariis, qui pro Imperatoribus Italiam administrarent. In quam rem extat diploma apud *Guilhelmum et Albizetum Cortuffios in historia l. V. c. 11.*

§. XVIII. Ipsi hoc facti sunt Sforzae, Caesari ius esse cognoscendi et iudicandi super imperio Mediolanensi, et criminibus, quae Principi impingebantur, *Galeatius Capella lib. VI. de bello Mediolanensi, cum quo conf. dissertatio de divisione imperii Carolini.*

§. XIX. Quae Italiae pars cum universo tractu, qui regni Italici nomine venit, nunquam in ditionem Pontificis Romani redacta est, quod ex actis monumentisque indubitatis constat. Liguria, Aemilia, Corsica, Venetiarum regio, Alpes Cottiae, Pedemontium, separatas ab Imperio rationes habuerunt, et urbes etiam provinciaeque Imperii Romanorum, ne summae quidem potestatis iure concessae unquam et confirmatae sunt Pontificibus Romanis. *Carolus Sigonius, et Caesar Baronius in re causaque hac bonam integramque fidem non praestant, tabulasque Caesarum vel mutilas, vel mutatas afferunt, quod styli temporumque periti facile cognoscunt.*

## LXXXVI. SYMMICTA HISTOR.

**P**eriscus Amphictyonum senatus, Graeciae proprius, et apud Delphos, ac postea apud Thermopylas cogi solitus, de rebus publice utilibus consilium habuit, missisque urbium legatis, non iuro, sed mittentium nomine, de pacis belli que negotiis sententiam dixit.

§. II. Nec vero omnes Graeciae urbes, eo loco numeroque erant, ut consulerent in publicum, et suffragia ibidem ferrent.

§. III.